

Hic tamen ille urbem Patavī sēdēsque locāvit
Teucrōrum et gentī nōmen dedit armaque fīxit
Trōia, nunc placidā compostus pāce quiēscit:
nōs, tua prōgeniēs, caelī quibus adnuis arcem, 250
nāvibus (īnfandum!) āmissīs ūnīus ob īram
prōdimur atque Italīs longē disiungimur ōrīs.
Hic pietātis honōs? Sīc nōs in scēptra repōnis?’
Ollī subrīdēns hominum sator atque deōrum
voltū, quō caelum tempestātēsque serēnat, 255
ōscula lībāvit nātae, dehinc tālia fātur:
‘Parce metū, Cytherēa, manent immōta tuōrum
fāta tibi; cernēs urbem et prōmissa Lavīnī
moenia, sublīmemque ferēs ad sīdera caelī
magnanimum Aenēān; neque mē sententia vertit. 260

Hic tibi (fābor enim, quandō haec tē cūra remordet,
longius et volvēns fātōrum arcāna movēbō)
bellum ingēns geret Ītaliā populōsque ferōcēs
contundet mōrēsque virīs et moenia pōnet,
tertia dum Latiō rēgnantem vīderit aestās, 265
ternaque trānsierint Rutulīs hīberna subāctīs.
At puer Ascanius, cui nunc cognōmen Iūlō
Additur (Īlus erat, dum rēs stetit Īlia rēgnō),
trīgintā magnōs volvendīs mēnsibus orbēs
imperio explēbit, rēgnumque ab sēde Lavīnī 270
trānsferet, et longam multā vī mūniet Albam.
Hīc iam ter centum tōtōs rēgnābitur annōs
gente sub Hectoreā, dōnec rēgīna sacerdos
Mārte gravis geminam partū dabit Īlia prōlem.
Inde lupae fulvō nūtrīcis tegmine laetus 275
Rōmulus excipiet gentem et Māvortia condet
moenia Rōmānōsque suō dē nōmine dīcet.

Hīs ego nec mētās rērum nec tempora pōnō:
imperium sine fine dedī. Quīn aspera Iūnō,
quae mare nunc terrāsque metū caelumque fatīgat, 280
cōnsilia in melius referet, mēcumque fovēbit
Rōmānōs, rērum dominōs gentemque togātam.
Sīc placitum. Veniet lūstrīs lābentibus aetās
cum domus Assaracī Phthīam clārāsque Mycēnās
servitiō premet ac victīs dominābitur Argīs. 285
Nāscētur pulchrā Troiānus orīgine Caesar,
imperium Ōceanō, fāmam qui terminet astrīs,
Iūlius, ā magnō dēmissum nōmen Iūlō.
Hunc tū ōlim caelō spoliīs Orientis onustum
accipiēs sēceūra; vocābitur hic quoque vōtīs. 290

Aspera tum positīs mītēscent saecula bellīs;
cāna Fidēs et Vesta, Remō cum frātre Quirīnus,
iūra dabunt; dīrae ferrō et compāgibus artīs
claudentur Bellī portae; Furor impius intus,
saeva sedēns super arma et centum vīnctus aēnīs 295
post tergum nōdīs fremet horridus ōre cruentō.'
Haec ait et Maiā genitum dēmittit ab altō,
ut terrae utque novae pateant Karthāginis arcēs
hospitiō Teucrīs, nē fātī nescia Dīdō
finibus arcēret. Volat ille per āera magnum 300
rēmigiō ālārum, ac Libyae citus adstitit ōris.
Et iam iussa facit, pōnuntque ferōcia Poenī
corda volente deō; in prīmīs rēgīna quiētum
accipit in Teucrōs animum mentemque benignam.

At pius Aenēās per noctem plūrima volvēns, 305
ut primum lūx alma data est, exīre locōsque
explōrāre novōs, quās ventō accesserit ōrās,
quī teneant(nam inculta videt), hominēsne feraene,
quaerere cōstituit, sociīsque exācta referre.
Classem in convexō nemorum sub rūpe cavātā 310
arboribus clausam circum atque horrentibus umbrīs
occulit; ipse ūnō graditur comitātus Achātē
bīna manū lātō crispāns hastīlia ferrō.
Cui māter mediā sēsē tulit obvia silvā
virginis ōs habitumque gerēns, et virginis arma 315
Spartānae, vel quālis equōs Thrēissa fatīgat
Harpalycē volucremque fugā praevertitur Hebrum.
Namque umerīs dē mōre habilem suspenderit arcum
vēnātrīx, dederatque comam diffundere ventīs,
nūda genū, nōdōque sinūs collēcta fluentēs. 320